ejusmodi de templo sententiam tulit: Vos autem nequa-
quam exhorrescitis summa idem afficere injuria, quum
adversariæ manus opificio id adscribitis. Atque utris jam
magis conveniat illud, Stolidorum ac coecorum nomen, num illis,
qui utrumque quidem ut sanctum colebant, potiori tamen ho-
nore dignum aurum habebant, an his, qui et templum ipsum,
quæque in eo erant, omnia, blasphema lingua diffamant,
neque verentur summa afficere contumelia, quique a bene-
fica eadem cura ad hostis tyrannidem extrudunt. Deinde etiam,
Qui juraverit per altare, nihil est, At qui juraverit per donum,
super altare, reus est. Atque eadem insania eadem rur-
sus objurgatione repellitur. Stolidi ac coeci, ~~Quid~~ Utrum
enim majus, donum, an altare, quod donum sanctificat?
Non templum adeo solum, sed et altare fontem quasi quen-
dam esse Salvator ait sanctitatis. At sancta quidem erant,
quæ erant in templo, omnia: propter communicationem autem
atque participationem ~~alia~~ quædam quidem sanctorum primum hono-
ris locum obtinebant, alia secundum. Et Judæos, non quod
sic insaniverint, sed quod ausi sint ordinem turbare, Lu-
minis et substantialis Dei Sapientia coecos stultosque
judicat. Atque ille quidem, qui patrem optime noverat,
(Nemo enim vidit patrem, nisi filius, et cui filius re-
velaverit.) Idem, ubi gratiam nobis in templo atque alta-
ri patrio quasi scaturiginem habere ostendit, eadem quoque
sanctitatem communicare docet. At tu C.! quo autem
nomine appellari ~~te~~ merito queas? Novum enim omnem
excedens ista tua audacia, stolido atque coeco multo magis
conve-